



ECk ille ex nobili familia Reüschachiorum in Sueuia natus fuit. Is cū adolefceret, primò Maximiliani Cæfaris, poſtea & Caroli quinti caſtra in Italia ſecutus eſt. hinc factum ut rei bellicæ magnā peritiā naçtus fuerit. Erat is prudentia & pietate inſignis. Itaque in primis ſtatuit ſuam operam contra Turcas præſtare, atque Ferdinando regi militare, ne Chriſtiani paſſim ab illis trucidarentur, aut in miſeram ſeruitutem abducerentur. Cum autem anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo Solymanus Turca magnum exercitum in Vngariam duxiſſet, & Budam occupare ſtatuiſſet, Ferdinandus exercitum Budam tranſmiſerat, ut eam

urbem ante Turcæ aduētum in poteſtatem redigeret, idēq; duce primario Rogendolpho. In eo exercitu quoque Eck cum magnæ ſpei filio honeſtè militabat. atque certam legionem militum gubernabat. Cum uerò Chriſtianorum & Turcarum copiæ non procul circa Budam conueniſſent, atque indies uelitationes fierent, miſerabilis quidam caſus accidit, quem Iouius lib. 39 eleganter deſcribit.